

MARS RŌMULUM IN CAELUM VOCAT

XV

IN angulō Tiberis Campus Martius iacēbat. In Campō Martiō iuvenēs Rŏmānī corpora diligenter exercēbant. Ita firma et valida habēbant corpora. Post lūdōs in flāvīs Tiberis undīs natābant. Ita Tiberis corpora fessa recreābat.

Hic forte Rŏmulus cīvibus suis iūra dābat; bonōs cīvēs laudābat; malōs cīvēs culpābat. Subito fulminis fragor populum perterruit; magnī dē caelō imbrēs virōs fēmināsque fugāvērunt. Rŏmulus solum serēnus impavidusque manēbat; Martem patrem in caelō vidēbat. Tum Mars filium verbis benignis vocāvit: “Satis,” inquit, “in terris regnāvisti; nunc in caelō et in stellis cum patre tuō cēterisque dīs regnābis. Filium meum ad caelum portābo.” Tum equōs mirōs incitāvit. Rŏmulus cum patre ad stellās properāvit.

XVI

Caelum iterum serēnum erat. Iam Rŏmānī in Campō Martiō iterum ambulābant, sed rēgem nusquam vidēbant. Mox autem Iūlius, iuvenis Rŏmānus, per viam Rŏmānam iter ad urbem tenēbat. Subitō ā sinistrā, magnum et serēnum, Rŏmulum prope viam vidēbat. Vehementer timuit—capillī in capite horruērunt. Sed Rŏmulus verbis benignis, “O Iūli,” inquit, “nulla est causa timōris. Nunc Quirītēs nūmen meum adōrābunt et Rŏmulum Quirīnum vocābunt. Tempa et ārās aedificābunt, et ad ārās dōna apportābunt. Semper artem bellī et arma cūrābunt, et corpora in armīs diligenter exercēbunt. Ita Quirīnus Populum Rŏmānum servābit.” Itaque Iūlius Rŏmulī dicta populō narrāvit, et Quirītes templum rotundum aedificāvērunt. In templō rotundō Quirīnī nūmen adōrābant.